

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter ipsa an
te mulieres omnes scientie prece
lente: puto quod intelligit quod aiad
nent. Nam alie quide partes gra
m meruerunt. ipa autem plena
gra ab angelo salutata. **Hec an**
telus. Oratio. Illuc uiga uesse
florida et fructifera maia uir
go uirgissima. de qua uirgo ille
et singularis flos et fructus pro
ditur. in uirtutum spiritualium germen eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mens dulcoris. flos cuius uoi
tas expellit mestitiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat letitiam
Benedicta uiga de radice uesse:
uirtus et flos: quod de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me recrea: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De receptioe iohannis bap^{te} Ca. iiii

Vit autem in di
ebus illis salz
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quidam
noie sachaias

de uice abia: et uxor eius noie

quantum ad obseruanciam ceremonialium:
sine quarela. quantum ad obseruanciam
iudicialium: quod pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter sterilitatem: quod est causa
specialis mulieris. Ex quo apparet
deceptio percursoris miraculosa: quod
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **T**
Iste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quod
iacob patriarcha spiritu propheta sig
num aduentus christi predicant. quod reg
num iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **T** Et sciendum est hic
quod cum moyses unicum instituisse su
mum sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultum domus domini. de xxiiii fa
miliis quod descenderant ab aharone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos tamen unus maior erat et su
mus omnium: quod dicebatur princeps sac
dotum. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sue
singuli castissime student: nec
interim in domum ipsam intraret:
sed in domunculis circa templum

msw. 08/11

alte Nr. 352.

Calixtus, G. mit

Samelband mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Comringus

c. 13. 17. c. XL.

F. III. 6.

DISPUTATIO
De
NATURA, PARTIBUS ET INSTRUMENTIS PHILOSOPHIAE,

Cuius theses,

DEO IUVANTE,

In illustri Acad. IVLIA

PRAESIDE

M. ERICO MULLERO

Hemmendorff. Brunsvigio,

Ad examinandum proponit,

In ante diem quartum

Non. Octobr.

IOHANNES COLTMANN

Neapolitanus.



HELMÆSTADII,

Typis heredum Iacobi Lucij, Anno

MDCCCXXIII.



VIRIS

*Admodum Reverendis & Amplif-
simis,*

Dn. THEODORO STRAKENIO,
Abbati Luccensi laudatissimo,

Dn. BURCHARDO BEINSENIO,
Priori &c.

Dn. IOHANNI KISOVIO Pastori &c.
• tum ceteris ejusdem Coenobii Conventualibus,
Viris Reverendis, doctissimis &
humanissimis.

NEC NON

*Amplissimis, Consuleis & Prudentissimis
Viris,*

Dnn. CONSULIBVS RELIQVISq;
Reipub. Neostadianæ Senato-
ribus,

*Dominis & Mæcenatibus eximiâ observantiâ
colendis,*

Disputationem hanc Philosophicam
debitæ observantiæ ac
grati animi

ergò

inscribit ac offert

Respondens.





THESIS I.



Vo in universum sunt disciplinarum genera quæ ab homine cognosci possunt: Vnum agit de mysteriis æternam hominis salutem concernentibus, quod nisi revelatum esset, jam non haberetur. Et enim principia & media sub lumine naturæ nota, quæ eò ducunt, prorsus nulla sunt. Ethinc potissimum quoq; quæ in scripturis revelantur, esse dicuntur supra captum rationis sibi ac viribus suis relicte. Disciplina, quæ de hisce tractat, vocatur Theologia. Alterum nititur lumine naturæ & deducitur ex principiis naturæ notis cuilibet homini, qui quidem satis sit mentis compos: & de hoc multæ ac variæ sunt disciplinæ philosophicæ, quas nos, relicto altero illo genere, cum de eo agere ad Theologos spectet, breviter enumerabimus, ita ut quo loco unaquæq; habenda & quid præcipue promittat, confuse aliquo modo sciri possit.

II. Non autem morari nos modò debet disputatio illa, *nū philosophia sit corporis, an verò animi perfectio*, cum id partim ex iis, quæ jam dicta, partim ex dicendis deinceps, facile colligi possit: prætereo, quod nomen philosophiæ quoq; ipsum aperte satis indicet. nam perfectò absurdus sit, qui se corpore intelligere ac sapere affirmet; animus est, cui illud acceptum feras. Pergeamus igitur ad divisionem Philosophiæ.

III. Dividitur autem non uno modo ab omnibus. Stoici & Platonici olim tribuebant eam in tres partes, Physicam, Ethicam & Logicam, ut est apud Diogen. La-

A

erti-

tertium in prooemio librorum suorum, item lib. 7. in vita Zenonis, apud Senecam epist. 89. Tullius eandem refert in libro, quem ipse Oratorem inscribit; item lib. 5. Tusculan. quaest. Philosophiam triplicem animi foetum esse dicit & subjungit: *unus in cognitione rerum positus & in explicazione natura: alter in descriptione expetendarum fugiendarumue rerum: tertius in iudicando, quid cuiq; rei sit consequens, quid impugnans: in quo inest omnis tum subtilitas differendi, tum veritas iudicandi;* quibus idem dicit, quod paulo ante Stoici ac Platonici. Epicurus eodem modo in tres partes philosophiam partitur, nempe in Canonicam, Physicam & Ethicam, apud eundem Diogenem lib. 10. in vita Epicuri: alii aliter; sed eas distinctiones, quia aut parum, aut nihil ferè ad rem faciunt, recensere nihil attinet; neq; est instituti nostri.

IV. Stoicorum illa & Platoniorum, sicut etiam Epicuri partitio, quanquam ad bonum sensum vocari posset, tamen hoc in ea jure reprehenditur, quod indistinctè loquatur & instrumentales disciplinas cum realibus confundat.

V. Aristoteles & qui ipsum sectantur, aliam habent Philosophiae distinctionem tum clariorem, tum etiam meliorem. Dividitur verò ipsis in partes theoreticam & practicam. Eam divisionem illi ex natura rerum evincunt. Rerum, inquit, aliae sunt necessariae, aliae contingentes. Necessarias vocant, quae vel sunt semper, vel fiunt à natura, non autem à nobis; Contingentes verò, quae in potestate nostra sunt, ut fiant vel non fiant. Hanc speciem rerum exponendam sibi sumit pars practica, illam theoretica. Appellatio, uti patet, utrobique desumpta est à fine: nam disciplinae speculativae res sibi subjectas docent nos tantummodo scire sive

Arist. 1. 3. de
anima c. 8.
Zab. 1. 1. de
nat. Logi-
ca 1. 2.

CON-

contemplari, nec ulterius progrediuntur, aut per se diriguntur ad aliquam actionem. Dico *per se*, per accidens enim & ratione scientis quidē possunt referri, sed *scientie dicuntur practicae & contemplativa non ex finibus scientium, sed ipsarum scientiarum*, ut bene monet Fonseca lib. 6. Metaph. c. 1. quæst. 5. sect. 7. Practicę, res circa quas occupantur non solum docent nos scire, sed præcipuè operari: qui finis nisi adsit, parum eiusmodi fortè scientia prodest.

VI. Ulterius observandum res contingentes in manu nostra positas huc quidem pertinere, non tamen omnes; quippe quæ ab habitu Artis informantur, cum sint ignobiliores, quàm ut à Philosopho curari debeant, hinc submoventur; nam non tam requiruntur ad animi perfectionem, quàm ad sustentandum corpus & augendum facultates remque familiarem: v. g. nisi ars futoria subministraret necessaria corpori faceretque ad amplificandum opes, nullus futor vel subulam propter eam moveret, quin inimò nemo fortè in orbe futor tum esse vellet. Par iudicium de cæteris artibus: inter quas tamen aliam aliã nobiliorem ac præstantiorem esse, nemo rectè inficias ibit. Absque controversia enim Medicina longè dignitate alias artes superat, uti ostendit Zabarel. lib. de natura Log. cap. 15. *Medicinam quidem, inquit, scientiam esse non dicimus & falluntur medici qui id audent asseverare; satis habeant, cum effectricem artem exerceant, si eam cæteris artibus præstare fateamur: propterea quod ralem finem sibi efficiendum proponit, qui non propter alium externum finem, sed propter se à nobis expetitur, vel saltem non ita propter alia consequentia commoda expetitur, ut non etiam propter se & magis propter se, quàm propter alia.*

VII. Discrimen inter Philosophiam theoreticam &

A 2

pra-

practicam ex dictis manifestū est; deprehendimus quippe diversitatem & *in obiecto*, quod in disciplinis theoreticis sunt res necessariae ac aeternae, in practicis contingentes, ac mutabiles, & *in fine*, qui in theoreticis est duntaxat scire, in practicis, agere. Quibus addi possunt adhuc alia per quae à se invicem haec partes determinari queunt, ut sunt *subiectum* & *ordo* siue *modus progrediendi*. Vtrumque hinc variat. Alius enim Ordo convenit practicis, alius theoreticis: practica traduntur ordine analytico, synthetico theoretica; quare ita necesse sit, in Logicis discitur. Quae Franciscus Piccolomineus in *Introduct. ad 10. gradus Philosoph. civil. cap. 15. & seqq.* nonnullis, item in *Comite Politico* contra disputat, sufficienter à Zabarella in *Apologia sua*, quam scripsit contra Piccolomin. confutantur. De subiecto Philosophus lib. 6. *Ethic. Nicomach. c. 2.* ita inquit: *Atque hoc positum sit, duas esse animi partes ratione praeditas: unam, quares eas cernimus, quarum principia aliter se habere non possunt; alteram, quae eas, quae hoc vel illa modo possunt evenire.* In quibus Arist. aliam partem animi assignat rebus contingentibus, & aliam necessariis, uti legenti patet. Hisce expositis, pergemus ad subdivisionem.

IX. Partis theoricæ tres Aristoteles facit partes lib. 5. *Metaph. cap. 1.* & aliis quoque in locis, nempe *Metaphysicam* (quam hinc loci vocat *Theologiam*) *Physicam* & *Mathesin*. *Metaphysica* considerat ens quatenus ens, & quae ei per se insunt 4. *Metaph. cap. 1.* *Physica* agit de corpore naturali, quatenus naturale siue quatenus habet in sese principium motus & quietis. *Mathesis* tractat quantitatem à materia abstractam cogitatione duntaxat: Nam reapse abstrahi non potest. Atque hinc numerus disciplinarum vulgò ostendi solet ex triplici illa abstractione

tionem, Metaphysicâ scilicet, Physicâ & Mathematicâ. Quam triplicem abstractionem ex sententia scholasticorum cum pulchrè referat Pererius, ejus verbis potius, quàm meis, quid ea sit, subjungam: *Scholastici Philosophi, inquit, modo suo declarant sufficientiam huius divisionis ad hunc modum. Scientia speculativa est perfectio intellectus nostri, qui est immaterialis; quapropter obiectum scientiæ debet esse aliquo modo abstractum à materia: triplex autem est abstractio rei à materia, Vna tantum à materia singulari, quam ipsi vocant materiam signatam, ut qui dicit animal vel hominem, significat ea quidem abstracta ab hoc vel illo corpore & ab his vel illis carnibus aut ossibus, non tamen à corpore & à carne simpliciter & absolute, sicut qui dicit simum, dicit curvitatem abstractam ab hoc vel illo naso, sed non simpliciter à naso: Altera est abstractio rei à materia non solum singulari, sed etiam uniuersali, non quidem secundum rem, verum tantummodo secundum rationem & cognitionem, ut licet quantitas non possit naturaliter existere, nisi aut in cælo, aut in elementis, aut in mixtis, tamen potest sine his considerari ac sciri; qui enim ait, triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis, considerat per se triangulum, non quatenus est in cælo aut in aliis corporibus. Tertia est abstractio rei ab omni materia tam secundum rem, quàm secundum rationem, quam abstractionem cernimus in Deo & intelligentiis. Prima igitur abstractio facit scientiam Physicam; secunda Mathematicam; tertia Metaphysicam. Ita Pererius lib. I. de philosoph. c. 5.*

IX. At verò ut ut recepta sit ea sententia apud Philosophos, difficultate tamen non caret. Etenim si ex sola abstractione proceditur, tum Metaphysicæ suum ex parte peribit subjectum, fietq; ex scientia uniuersali particularis. nam sub ente continentur non tantum, quæ in materia existunt, verum etiam, quæ omnis ma-

terię sunt expertia, quorum certè una abstractio nec est, nec esse potest; aliter quippe abstrahentur, quæ carent materiâ, quàm quæ prædita eadem, & tamen in ratione entis utrumq; genus includendum, si Metaphysica universalis disciplina esse debet, uti est. Quid ergò? Concedimus quidem abstractionem esse posse signū distinctionis, nempe ubi planè diversa est abstractio, ibi plerumq; etiam esse diversam scientiam, sed in sola abstractione fundare distinctionem scientiarum, vix tutū esse apparet, ut quoq; ostendit. Per. lib. I. de Phil. c. 8. X. Itaq; meliorem ac veriolem eorum sententiam existimamus, quæ distinctionem disciplinarum theoricarum fundat in unitate generis sive subiecti, qui desumitur à modo considerandi, qui ipsum subiectum restringit, ita quidem, ut non possit nisi uni disciplinæ subijci. Ita Zabarell. l. I. post. anal. c. 7, 10, & passim. Proinde, ut hoc obiter etiam moneam, in subiecto duo perpendenda sunt, unum est materiale, formale alterum. Materiale sive res considerata pluribus disciplinis communis esse potest, formale, sive modus considerandi ad certam scientiam ipsum materiale contrahit. v.g. homo secundum rem consideratam plurium disciplinarum subiectum esse potest, quippe consideratur à Metaphysico, Physico, Ethico, Medico &c. sed non tamen eodem pacto: à Metaphysico enim consideratur, ut Ens, à Physico ut corpus naturale, ab Ethico ut imbuendus bonis moribus, à Medico quatenus ipsius vel conservanda vel reparanda sanitas &c. Itaq; à modo considerandi rem aliter atq; aliter totum negotium ferè hic dependet.

XI. Atq; ex hoc fundamento Benedictus Pererius non solum tres scientias theoricas esse vidit, sed quar-

tam

tam in super addendam esse rectissime censet, quæ agat
de substantiis incorporeis, quæ talibus. Etenim ubi res
considerata & modus considerandi datur diversus à re-
liquis scientiis, ibi datur quoq; diversa scientia. Sed hîc
datur res considerata & modus considerandi diversus à
reliquis scientiis. E. nam agere de substantiis immateria-
tis prout talibus, neq; spectat ad Metaphysicam, neq;
ad ullam aliam ex scientiis nisi ad quartam scientiam,
ut rem rectè æstimâti liquet. Verùm de hoc latius disse-
rentem vide Benedict. Perer. lib. 1. de Philosoph. cap. 7.
XII. Quod autem in eodem cap. pergit: *Non solum non est
absurdum ponere quartam scientiam speculativam, sed etiam po-
nere quintam quandam, hoc est scientiam Dei, secundum ea, quæ
possunt de Deo naturaliter cognosci, distinctam à scientia intel-
ligentiarum, iudicio nostro non pessimè sentiret, in eo sine du-
bio vir doctissimus hallucinatur. Quam opinionem cû
doctè confuter Arnisæus c. 8. de constit. & partib. Me-
taphys. & ille tractatus fit in paucorum manibus, ejus
verba inde huc transcribemus. Exurgit autem, inquit, du-
bitatio, si danda est quarta scientia speculativa, an pro obiecto
possit habere totam latitudinem immaterialium, Dei nimirum,
angelorum & animæ rationalis. Perer. l. 1. de Philosoph. c.
7. cum distinxisset Theologiam à Metaphysica, negavit Deum
cum immaterialibus ingredi eandem scientiam. I. Quia plus
distat Deus à reliquis abstractis, quam corpus ab intelligentiis.
Sed hæc non possunt in una congregari scientia: Ergo nec illa.
Antecedens probat 1. Maior est distantia inter finitam & infi-
nitum quàm inter duo finita. 2. Plura sunt communia intelli-
gentiis & aliis creaturis, quàm Deo & intelligentiis, & ea, in qui-
bus Deus distinguitur ab intelligentiis, sunt plura & insignio-
ra. II. Diversitas abstractionum parit diversas scientias. Sed
in intelligentiis diversa est abstractio, quàm in Deo, qui totus à*
mate.

materia immunis est, dum angeli constant ex materia saltem spiritali.

XIII. Hæ tamen rationes non videntur sufficientes ad tantum scientiarum numerum introducendum. In prima enim concedimus quidem magis distare Deum à creaturis etiam spiritalibus, quàm creaturas inter se inuicem, sed ista distantia nequit introducere distinctionem scientiarum: quippe quam argendere convenit non penes rerum absolutam distantiam, sed penes differentiam in modo cognoscendi vel sciendi. In modo autem cognoscendi corpus latius abit ab abstractis, quàm Deus ab angelis, quia eadem intelliguntur Deus & angeli abstractione, eodem modo procedendi demonstrantur, eademq; proxima & immediata habent principia, quæ non inveniuntur respectu corporis & abstractorum. Esto igitur Deus infinitus, sint angeli finiti: inter finitum autem & infinitum non datur proportio nimirum in essendo: sed Deus cognoscitur non ut infinitus, quia infinitum ut sic à nullo finito intellectu naturaliter cognosci potest, verum ad proportionem conceptuum immaterialium à rebus finitis haustorum. Si verò distantiam rerum absolute estimare velimus, ad distinguendas scientias, oportebit plures adhuc numerari, quia multa accidentia latius distant à corpore, quàm quantitas, quæ tamen sola habet diversum modum considerandi. De abstractione porro, quod obijcitur, ex equivocatione materia spiritalis facile solvitur. Nam materia illa adeò à vere materia natura remota est, ut iam ipsa secundum rem & rationem abstracta sit, & proinde non possit novum abstractionis modum introducere. Hactenus Arnisaus. Errorem quoq; hunc dilucidius adhuc ostendit Horneius in Metaph. l. i. disquisit. i. de prima Philosophia. Quæ cum parari hic facile possint, eò lectorem remittimus.

XIV. Quatuor igitur duntaxat esse scientias (nisi Metaphysicam vocare sapientiam mavis) scil. Metaphysicam

cam, Quartam scientiam, Phisicam & Mathesin mani-
festum est. Superest tamen difficultas non levis de Ma-
thesi, utrum videlicet Arithmetica, qua numerum considerat, &
Geometria, qua magnitudinem, sint due distincte disciplinae, an
verò unius Matheseos partes sive species. In priore sententia
est Zabarella l. i. poster. analyt. c. 7 & 10. ubi quoq; pro
se Averroem laudat. In posteriore est Tataretus in li-
bro Prædicamentorum, & Svaresius disp. 40. de quant.
continua, ubi simul reddit rationem, quare de quantita-
te in communi nulla instituat tractatio, sed statim fi-
at progressus ad explicandum illius species. Verba ipsi-
us, quia rem hanc explicant, subjungemus. *Quamvis, in-
quit, ratio quantitatis abstrahi solet à quantitate continua &
discreta: ob maiorem tamen claritatem & brevitatem non insti-
tuimus disputationem de quantitate in communi sumpta, quia
vix potest eius essentialis ratio in ea communitate declarari.
Vnde Aristoteles in prædicamentis, nullam quantitatis in communi
definitione præmissa, statim illam diuisit in continuam & discretam.*
Ex quibus ad Zabarellæ rationes, quas affert cap. 10, re-
sponso defumi potest, nempe primò non esse absurdum
si unam Matheseos dicamus scientiam, constantem dua-
bus partibus sive speciebus, deinde neq; esse propterea
ab Aristotele sophisticè traditas, quod communem par-
tem omiserit, cum quæ in ea explicanda erant, conveni-
entius in expositione specierum tradi possint, ut paul-
lò antè ex Svaresio notavimus. Hæc de mathesi pura
sive simplici: subiungemus ei nunc breviter disciplinas
mixtas sive subalternatas.

XV. Vocantur autem *mixta* quia habent subjectum
mixtum ex Phisicis & Mathematicis; *subalternata* autè,
quia iisdem utuntur principiis in demonstrationibus,
quibus subalternantes. Et inde est, quod subalterna-

B

ta

tæ disciplinæ Mathematicæ non faciant numerū. Quod quia optimè explicat Zabarella lib. de trib. præcogn. c. 12. ejus verbis potius, quàm meis id subjungam. *Dicim^o inquit, hasce scientias (subalternatas scilicet) in re considerata non penitus differre, sed accidentalit tantum differentiâ: in modo autem considerandi nullo pacto differre, sed eundem servari in subalternata ac in subalternante considerandi modum: additio namq; sensilis qualitatis fit soli rei consideratae, non ipsi modo considerandi: ut in Musica rei considerata est numerus sonorum, non ut sonus: in Perspectiva rei considerata est linea in visu accepta, modus autem considerandi est ut linea, non ut in visu. Eadē mens est Philosophi 13. Metaph. cap. 3. δῆλον, inquit, ὅτι ἐκδέχεται καὶ τῶν αἰσθητῶν μεγεθῶν εἶναι καὶ λόγους καὶ ἀποδείξεις, μὴ ἢ δὲ αἰσθητὰ ἀλλ' ἢ ποιᾶδι.*

XVI. Hujusmodi disciplinæ mixtæ sive subalternatæ hæ sunt: *Musica*, quæ subalternatur *Arithmeticæ*, & *Optica* sive *Perspectiva*, quæ *Geometriæ*, deinde *Geometriæ*, *Arithmeticæ* & *Opticæ* simul subalternatur *Cosmographiæ*, quæ dividitur in *Astronomiam* & *Geographiā*. Etenim quæ *Arithmetica* in numeris abstractè considerat, eadem considerat *Musica* quoq; sed cum apposita sensili qualitate. *Observa Musicam esse duplicem: scientialem* quæ per causam demonstrat, & *vocalem*, quæ non demonstrat consistitq; in solo auditu, in solo cantu, absq; ulla cognitione causarum: unde quoque artibus hanc annumerat Zabarella l. 1. Poster. analyt. cap. 12. ad text. 100. Scientialis propriè huc spectat.

XVII. Porro *Geometria* abstractè lineam considerat, *Optica* verò lineam in visu positam, nempe demonstrat principiis Geometricis, quare tripliciter aliquid contingat videri, scilicet directè & visu simplici per aërem ferenum, deinde visu reflexo in speculo, & denique tertio
visu

visu refracto per medium inæqualiter perspicuum. *Cosmographia* metitur mundum Geometricè absque errore auxilio Perspectivæ, supputatq; eundem Arithmeticè. *Astronomia* pertractat de astris & subdividitur in Sphæricam & Theoricā planetarum; *Geographia* agit de regionum figura, magnitudine & situ. Hucusq; de disciplinis theoreticis: sequuntur practicæ, quæ à variis variè quoq; dividuntur.

XIX. Communiter tres eiusmodi statuuntur *Ethica*, *Politica* & *Oeconomica*; atq; secundum hanc partitionem *Ethica* singulorum hominum mores informat; *Politica* Rempublicam administrare ac in ea decenter vivere docet; *Oeconomica* deniq; patrem familias bonis instruit præceptis, ut familiam cum laude educare possit. Hic numerus ex triplici ratione illorum, quorum actiones ad finem rectè dirigi debent, desumptus apud D. Thom. i. *Ethic.* in Proœmio & Acciaiol, ibid. qui ea de re addendi.

XIX. Franciscus Piccolomineus, quia *Ethicam* nō singulorum hominum mores informare concedit, sed in genere tractare eam asserit de felicitate hominis, sive summo bono, *Politica* deinde magis ad specialia descendere, adeoq; ipsam *Oeconomicam* ambitu suo continere, idcirco aliā sequitur rationem dividendi hasce disciplinas, in *Introduc.* ad 10. grad. *Civil. Philos.* cap. 8. & *Ethicam* quasi *Theoricam* facit, quod remotior ab operatione, cui quia propinquior *Politica*, ipsā practicæ nomine notat; Verba illius loco citato hæc sunt: *Quemadmodum ceteræ omnes artes & disciplina, quarum finis est operatio, in partes duas principes, non in plures distribuuntur; quarum una vulgò theorica, altera practica dicitur: una in rerum iudicio principiorumq; indagatione, altera in usu*

& operatione versatur, ita civilem scientiam in partes duas
Principes distribuendam censeo; quarum prima, que tanquam
theorica est, tradit nobis principia, fundamenta & semina uni-
verse Philosophiæ civilis, facultateq; includit universam civi-
lem philosophiam, altera, que magis practica est, descendit ad
ordines, ad precepta propria & leges, divisimq; ea explicat, que
competunt unicuiq; gradui & conditioni hominum. XX.

Practicum & theoreticum propemodum hic Pic-
colomineus accepit, quemadmodum ante ipsum Avi-
cenna in Canone & Canticis suis, ubi simili modo Me-
dicinam (quam perperam tamen scientiam facit) in par-
tem theoreticam & practicam dispescit; verba illius ex
Canone, quia hanc divisionem, non nihil confirmant,
huc apponemus. XX. Cam ergo, inquit ab initio Canonis, de
medicina dixerimus, quod eius est theoretica & ex ea est practica,
non est existimandum, quod velimus dicere, quod una divisionum
medicina est scire, & altera est operari, quemadmodum multi
hunc locum perscrutantes existimant, sed debes scire, quod illud
quod volumus est aliud, & quod nulla duarum divisionum medi-
cina est nisi scientia: sed una earum est scientia principiorum, &
altera est scientia modi vel qualitatis operandi. Post vero pri-
mam earum nomine scientia aut theoretica appropriavimus, & al-
teram appropriavimus nomine practica. Per theoreticam vero
ipsius intelligimus illam, cuius doctrina confert ad scientiam
tantum, absq; hoc quod dirigat ad declarandum qualitatem ope-
randi seu operationis: sicut dicitur in medicina, quod genera fe-
brium sunt tria & complexionum sunt novem. Et per practicam
ipsius volumus non operationem in effectu, neq; in ceptionem vel
actum motionum corporearum, seu neq; aggredi vel promoveri
ad actiones corporeas, sed divisionem scientia medicina, cuius do-
ctrina confert ad acquirendam scientiam vel sententiam, à qua
quidem scientia vel sententia dependet qualitas seu modus ope-
randi.

randi &c. Haftenus Avicenna. Quamvis hæc commodè
ita tradi possint, tamen si propriè loquamur, utraq; pars
cùm communis tum specialis, quia per se praxin respi-
cit, practica rectè quoque vocabitur. Sed de vocabulis
non contendemus, cum de re constet.

XXI. Pleriq; posteriorè hanc partitionem priorinunc
præferunt: interim tamen nisi quis contentiosus esse
velit, posterior non ita mala est, si commodâ explica-
tione ei subveniatur. Etenim si una & eadem felicitas
est hominum singulorum & civitatis, ut disertè docet
Aristot. 7. Politic. cap. 2. eadem quoq; definitio cap. 1.
ibid. si idem unius hominis & civitatis bonum, ut est
lib. 1. Nicomach. cap. 1. parum interesse puto, si ve sin-
gularum hominum bonum explicari in Ethicis dica-
mus si ve bonum duntaxat in genere & communi. Quia
non nihil ultimum hunc locum Aristotelis illustrant,
quæ in eum commentatus Acciaiol. lib. 1. comment. c.
2. ipsa subiungemus: *Idem, inquit, re, diversum tamen ra-
tione. Nam hominis summum bonum est felicitas & beatitu-
do, eadem est etiam civitatis vel gentis perfectio. Sed differt
ratione, quia summum bonum unius hominis satis est uni indivi-
duo: non est autem tale quod est aliud quod acquiritur genti vel
civitati. Hoc enim ad plures extenditur & ideo est melius &
perfectius; quia bonum tanto est præclarior, quanto communius,
ut dicit in Politicis.*

XXII. Deniq; de Oeconomica notandum, quod
non ea heïc intelligatur, quæ propriè talis, & cuius
mentio fit apud Arist. 1. Eth. c. 1. nam illius finem ex-
pressè ibi facit divitias, sed quæ mores familiæ guber-
nat, & bonos efficere intendit. Posteriori modo sumptâ
Oeconomicam Piccolomineus partem Politicæ facit,
priorem è Philosophia relegat, in Introduct. ad decem

grad. Civil. Philosoph. cap. 9. ubi ita scribit: *De cura familiarum dico, eam dupliciter posse considerari. Primo, ut familiae sunt partes reipub. ac ita pertinent ad libros de reipub. tanquam principia civitatis: & propterea Aristoteles de illis egit in primo lib. de reipub. & in calce 10. moralium manifestat, officium esse legislatorum & recte formatarum rerum pub. curam habere de re-
ta educatione & studio hominum in singulis familiis: si autem id publice negligatur, tunc ait teneri parentes curam habere de liberis, amicosq; de amicis. Secundo consideratur familiaris cura, quod ad propria quadam praecepta pro constitutione & conservatione familiae, pertinentia ad ordinem partium familiae & ad nonnulla magis propria magisq; necessaria pro ea conservanda, quorum consideratio minus philosophiam sapit &c.*

XXIV. Ex hisce, quid Philosophia sit, non difficulter colligitur: nos eam ita definimus, quod sit *habitus animi ope nostrâ paratus, quo speculamur ea qua speculanda Deus in hac rerum universitate homini proposuit, & vitam secundum dictamen rectae rationis instituimus.* Tantum etiam de Philosophia practica.

XXIV. Superest, ut quoq; dicamus de instrumentis Philosophiæ; quod itidem breviter faciemus. Sunt autem illa quatuor, *Logica, Rhetorica, Poetica & Grammatica.* *Logicae* munus est rationem dirigere, ne in discursu à veritate aberret. Quam latè itaq; patet veritas eruenda, tam latè *Logicae* quoq; usus sese extendit. Significanter autem dicimus *Logicam* in eruenda veritate opem ferre. Etenim si quis existimet rationem nihil posse sine auxilio *Logices*, errat; cum non tantum simplex apprehensio rerum, sed etiam compositio & discursus naturalis

ralis sit: sanè evidens est, concipere rerum ideas aut species non discere rationem à Logica. Ita quoque prima principia sine discursu addiscuntur & vera esse deprehenduntur ex sola cognitione terminorum.

XXV. *Rhetorica* officium est oratione persuadere. Vbicunq; itaq; persuasio locum habet, *Rhetorica* rectè adhibebitur: peculiariter tamen, quòd omnia ferè præcepta illius collineant ad *Rempub.* conservandam, *Politica* instrumentum esse dicitur; nam ubi amplius multitudo legibus regi nequit &, ut *Poëta* canit,

— — *sevit animis ignobile vulgus*

Famq; faces & saxa volant, furor arma ministrat,

Tum pietate gravem ac meritis si fortè virum quem

Conspexere silent arrectisq; auribus adstant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet,

beneficio sc. *Rhetorices.*

XXVI. *Poëtica* scopus naturalis, est utilitas & morum correctio & affectionum purgatio, sed adjecta est etjam delectatio, ut homines ad hanc utilitatem percipiendam eò magis allicerentur; ideò rectè *Poëta* dixit: *Et prodesse volunt & delectare Poëta.* Utraq; hæc & *Rhetorica* & *Poëtica*, *Politica* inservire nata: magna tamen inter utramq; differentia cernitur. *Sunt* quidem, inquit *Zâbarella* l. 2. de nat. Log. c. 15. *Rhetorica* atq; *Poëtica facultates instrumentales, quibus homo civilis ad agendum utitur, id est ad cives bonos efficiendos: cum hoc tamen discrimine, quod arte *Rhetoricâ* per semetipsum utitur: *Poëtica* verò per alios:*

ipse

ipse enim artificiosa oratione persuadet civibus, ut boni sint: in genere quidem deliberativo persuadet ea, quae commoda & honesta Reipub. futura sint; in iudiciali iudiciis persuadet, ut iuste iudicent; in demonstrativo autem bonos laudando ad eorum imitationem alios compellit & pravos vituperando ab eorum imitatione auditores retrahit. Poeticam verò arte per alios utitur, non per se: nam Orator quidem esse debet, si sit optimè gubernaturus, non tamen Poëta, neq; mimus; sed leges statuit quanam Poëtae & qualia poëmata in civitate recipienda, quae eijcienda sint: quae namq; poëmata ad morum conformationem conferunt, admittit; quae verò mores corrumpunt, ea abhorret & rejicit: hac ratione per Poëtas & per poemata mores civium corrigit: possunt enim homines ad bene agendum trahi tum verbis tum factis; verbis quidem trahuntur ab Oratore persuadente; factis autem à Poëta, qui facta eis facta proponit, factasq; actiones, ut eas imitentur, si bonae sint; caveant autem, si male. Ex quibus discrimen earum manifestum. Grammatica deniq; quae mente concepisti, congruo & usitato sermone efferre te docet. Atque hæc pro instituto etiam de instrumentis Philosophiæ iam quidem sufficientiant.



COROL.



Corollaria.

I.

An Intellectus, siue habitus principiorum, sit unus, an verò geminus? Posterius videtur colligi posse ex Arist. 6. Ethic. Nicomach. c. 2. § 6. Vide etiam Suarez. disp. 44. de habitibus sect. 13. n. 38.

II.

Num Metaphysica de omnibus rebus & earum proprietatibus usq; ad ultimas species, seu differentias earum, consideret, ut voluit Anton. Mirandulan. ? N.

III.

An Philosophia sit unus habitus, an verò plures? Posterius aff.

IV.

*Vtrum definitio Praxeos Scoti apud Suar. disp. 44. de habitib. sect. 13. n. 20. quâ definitur, quod sit actus alterius potentia ab intellectu naturaliter posterior intellectiōne, natus er-
lici conformiter rationi rectæ ad hoc, ut sit
rectus,*

rectus, comprehendat omnem praxin & qui-
dem vere talem? N.

V.

An Logica sit disciplina theoricæ, an verò
practicæ? Prius asserit Suaresius disp. 40. sect.
13. n. 54. Nos posterius.

VI.

Num detur Ars historica? N. Vide Zaba-
rell. l. 2. de nat. Log. c. 24.

F I N I S.



94 A 7363

ULB Halle 3
002 826 550



5b.


V47

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
Campus in Berlin-Potsdam
Via Lorenza kam für illu



visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formavit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio uerbi:
ut scilicet prius ipsum inciperet me-
te quam carne. Mutans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni uel
beram. Que bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerit conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. Que cum gratia plena sit.
prius etiam quam accipiat: post accep-
tionem quantum dei habundat gratia
quis cogitare possit? Unum ieronimus
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestat gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. Que celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fidei
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. Dicitur
quoque ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimplet
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelus in se
uirgini gratissima: ista tamen clausula
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
Licet enim iam eam in uirgine: non
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. Hec etiam sola per-
omnibus mulieribus et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. Cum
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei quod ait In dolo: par-
es: uirgo maledictioni legis in qua
erat. maledicta sterilis: sed inania
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. Unde
ipsa primicia uirginum dum primo
uiginitate sua de obtulit. maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. Et notandum
quod super hanc salutationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alius
excellens dulcis et gratiosus uirginem
salutem potit: quam dicitur sa-
lutationem quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. In quo
uobis singulis dulcissima implen-
tur mysteria. Nam deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset inimicus ab omni uel
tunc uel quod que filia



Farbkarte #13

B.I.G.

32

VTATIO
 De
 RA, PAR
 T INSTRV.
 PHILOSO-
 PHIAE,
 us theses,
 IUVANTE,
 Acad. IVLIA
 AESIDE
 MVLLERO
 rff. Brunsvigio,
 inandum pro-
 bonit,
 diem quartum
 n. Octobr.
 S COLTMANN
 politanus.
 AESTADI,
 Jacobi Lucij, Anno
 cXXIII.

